

Bibliothèque numérique

medic@

**Dumangin, Jean-Baptiste-Eugénie -
candidat / Boyrot de Joncheres,
Gilbert Alexandre - président. - An
Epilepsiae rara Venae Sectio ?**

1768.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facult. Medic.
Typographi***

Cote : ms 2336 n°31



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax15x0031](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax15x0031)

130 31
DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS,
*manè discutienda, in Scholis Medicorum, die dicimâ quartâ mensis
Januarii, anno Domini M. DCC. LXVIII.*

M. GILBERTO ALEXANDRO BOIROT DE JONCHERES,

Doctore Medico Præsidente.

An Epilepsia rara Vena Sectio?

I.



PILEPSIA variis subit denominationes: modò *morbus caducus*, modò *comitialis* (a); nunc *lunaticus* (b), nunc *sonicus* (c); hic *sacer*, illic *herculeus*; à quibusdam *morbus major* (d), ab aliis *puerilis*, nuncupatur. Quoad speciem, *perfecte* vel *imperfecte*, *idiopathica* vel *sympathica*, *hereditaria* vel *congenita*, & *adventitia*, nomine indigitatur. Num semel vel pluries redeunt *Paroxysmi*? Statis recurrunt-ne intervallis vel non? Cautè attendas, ne *insultus Epilepticos* ferè semper *acutos*, cum *Epilepsiâ intermittente ac cronica*, *Paroximos*, *periodicos*, cum *erraticis*, confundas. Caveas ne pro *Catalepsi*, *Apoplexiâ*, *Paralyfi*, &c. sumatur *Epilepsia*. Percusso quali fulmine epileptico, subita malorum ilias sobolescit. Horrenda catervatim symptomata se produnt. Silent enim sensus, tum externi tum interni; motu involuntario vicibus concutiuntur reciprocis, quidam vel omnes muscoli: hinc visu horrendum! *Spasmi*, illinc *Tetani* singulares *Paroxysmum* concomitante; hic *Emprosthotoni*, illic *Opisthotoni*: ex ore *spuma* moventur (e): aliquandò convellitur *maxilla inferior*; quandoque *palpebra*. Quid nunc mirum, *Epilepsiam* tam sævis, tamque variis symptomatibus stipatam, *Diis*, *Demonibus*, *incantamentis* (f), adscriptam sæpè fuisse? Reapse quid causâ deregendâ magis arduum? Quid fabricâ *Encephali* intricatius? Quis tanti visceris rectè calleret usus? *Diabesis* (g) *Epilepsiæ idiopathicae proegumenica* in sensorio communi hæret: latet recondita, donec *principium* reddatur *actuosum*: in aliis tardius in alteris celerius. Sæpè dormit iners semen morbosum in *genitrici*, dum ex *avo* derivatur in *nepotem* (i). Genuinam (ex toto & tantis) quantum in te erit, detegas causam. Locus affectus non te lateat. An vitium debile, nec-ne, tunc dijudicabis. Prognosis certior; felicior *therapeia* tibi inerit. Ut variae sunt causae, sic varia curandi methodus: quantum numerosiores illae, tantò hæc difficilior. Dùm innumeris locutetur *Medicina* remediis; quot arcana tamen, quot specifica jactat unusquisque! sed sæpè in casum. Falsum pro vero captat; sic fallendo fallitur. *Cortex peruvianus* aliis, sæpè in casum. Falsum pro vero captat; sic fallendo fallitur. *Cortex peruvianus* aliis, alteris *Opium* aridet; quidam *Oleum Dippellii*, alii *Ungulas Alcis* extollunt; multi

Emetica, Cathartico Emetica prædicant: ferè omnes ad *vena sectionem*, ut ad sacram anchoram confugiunt. At dubites: Non enim sæpè celebranda hæc operatio, si plerumque inutilis evadat, raròque expers sit periculi.

I I.

UT diversæ causæ, sic sedes diversa, item immanes miris modis pullulant effectus: si fileant sensus, dum convelluntur muscoli, en signum *pathognomonicum*. Patet exindè causam proximam esse *nimiam cerebri in nervos motorios, nullam in sentientes actionem* (a) In Encephalo hæreere sensuum & motuum primam originem in Physiologicis (b) demonstratur. In quibus verò Encephali locis, hoc nondum (c) evincitur. Observationes practicæ varias inesse sedes, sat abundè arguunt. Quandòque enim aboletur motus, superstite sensu: quandòque perit sensus, motu manente incolumi. Quidquid ergò hic effluxum fluidi nervei intercipiet, illic motu augebit accelerato, ansam Epilepsiæ dabit. Et si nota cunctis causarum in *proximas & remotas*, divisio: quàm vastum hæc doctrina theoriæ praxique campum aperit! Iners sæpè latet causa *prædisponens*; à causis *procatarticiis* expergefata: strages edit. Triplex Epilepsiæ (d) species; hanc arguit diversitas loci; in cerebro nempe, *circà* (e) *ventriculum*; vel in alià corporis parte. Cerebrum immediatè adoriuntur-ne causæ? Uti exostoses, concretiones skirrosæ, polyposæ, glandula pituitaria tumefacta, * depressiones cranii, aneurismata, varices, spicula, humores nimium ventriculos irrorantes, ibique stagnantes, vermes in duræ matris processibus nidulantes, argentum vivum, gummata venerea, nimia moles, molities-ve cerebri, &c. tot sunt causæ ad Epilepsiam exquisitè prædisponentes; quas in actum excitant sequentes: harum plurimas parit ventriculos, ut vermes, saburras in primis viis hospitantes; cæteræ ex aliis corporis partibus scaturiunt, ut sanguis spissus, crudus, plethora, calor, animi pathemata, venus, passio hysterica, dentitio, venena, retenta, variolæ, materies ulcerosa per *metastasis* deposita, materia arthritica, affectus, *aura frigida*, dictus, ex inferioribus ad cerebrum recurrens. In Encephalo residet-ne organica labe? Potest sublevari, non eradicari. Remotas sedulò effuge causas. Improvisis auxiliis, sopitam ne commoveas diathesim. Si mittas sanguinem, rarò effundas, ne nimium effusus inutilis evadat, quin in no noceat, si exindè citius recurrant quandòque Paroxysmi, ægrotantisque res in pejus ruant.

I I I.

COGNITIS causis, Epilepsiæ determinatâ specie, quæ Paroxysmos præcedunt, comitantur, subsequuntur, patescunt. Prodromos præsertim pensites: causæ sedem prænuntiant. Duo sunt tempora per periodos recurrentia. In uno vita manet intacta; in altero minimè. An remedia cessante vel vigente Paroxismo celebranda? Et quænam? Certus es ne de vitio hæreditario, congenito, de malâ cerebri conformatione? Quid ages? Ferè nihil. Causas semen morborum quiescens, expergeficientes, quantum in te erit, amove. Quibus armis? Num in primis viis hospitatur saburra, an vermes nidulantur? Remediis propriis eneca, elimina. Si assuetæ adsint causæ, uti venus, crapula, inedia, vividæ animi affectiones, meditatio profunda, &c. fortiter oppugna. Cui intervi-ret venæ sectio. Vitium indelebile idiopathicum emendaret-ne? An saburram in ventriculo, intestinis-ve stagnantem emendaret? Num vermes enecaret? Aliis procatarticiis obliteret-ne causis? Ictibu, contusionibus perculsum-ne fuit cranium? Num intropremitur? Mala detegas. Instrumenta, uti terebram, volsellas, forfices, vectem auxilio advoces. Cui hic ului phlebotomus? Luxuriantes irrepunt-ne humores? Loca inassueta perluit-ne cruor? Exitum, quantum in te, præbe commodum. Cur illic venam secares? Si insultu Epileptico laborent pueri; victus aeris mutatio sæpè sola

* Sic reperta fuit in cadavere unius Narbonensis Archiepiscopi. An causa Epilepsiæ? an effectus?

(a) Boerhaav. Aphor. §. 1076.

(b) Boerhaav. Instit. §. 284.

(c) Vanswiet. Comm. p. 455.

Lin. 2. §. 1086.

Tom. 111.

(d) de Loc. affect. lib. 3. c. XI.

Charter. Ibid. p. 443.

(e) Vanswiet. Comm. p. 402.

Lin. VI. §. 1075.

Tom. 111.

sufficiunt. Sic Hippocrates inquit (a), quibus comitiales affectus ante pubertatem oboriuntur, decessum sortiuntur; quibus vero quintum & vigesimum annum agentibus oboriuntur, iis plerumque commoriuntur. Uti à teneritudine, nimiaque Encephali mole pendet ista labe, ætatis sæpè augmento emendatur. Si terror ansam dederit; curatu difficilior: ad roborantia, stomachica, antispasmodica confugiendum. Si doleant dentibus ex alveolo ægrè emergentibus; ne convellantur, tensam scinde gingivam. Ad hæc quadrat-ne phlebotomia? Si à nervis pendeat comitialis affectus, sola antispasmodica præcipuè olea animalia in usum veniant. Humores quædam acredine vitiiati, remediis pægoricis, demulcentibus, leniter evacuantibus, mutantur, extrudantur. Quorsum hic venæ sectio? Si nimia spissitudine præpolleat sanguis, inspissantes debellantur causæ; dilutior aquosis, aperientibus è regno minerali desumptis, reddatur fluidior. Quæ excernenda num retinentur? Sola Epispastica, evacuantia sola competunt, modò per loca assueta excernantur. Si è crure * quasi formicando ascendat aura frigida; sola sæpè cohibet ligurata (b). Non-ne supervacanea venæ sectio? An noceat, nunc perpendendum.

(a) Aphor. Sect. 5. n. 7. Charter. Tom. IX. part II. pag 197.

(b) Medical essays. Tom. IV. n. XXVII. p. 416.

I V.

SANGUINIS missionem non requiri, descriptarum suprà causerum evincit syndrome; nocere, si nimium huic indulgeas, plurimi testantur Auctores. Lis adhuc sub Iudice foret, ni observationes nobis faverent clinicæ. Nostræ enim assertionis veritatem experientia probat, ut & ratio fulsit. Mulier trigessimum circiter annum agens, Epilepsiâ laborabat adventitiâ. Incipiente morbo, rariores recurrebant Paroxysmi. Cura tanti mali commissa Chirurgo. Quoties ad ægrotantem accedebat, toties vena secabatur; & quò frequentiores insultus, eò frequentior sectio. Chirurgi tandem, semetipsum pertæsa, suisque molesta, propter inopiam, è Provinciâ in Parisiense Nosocomium generale deferitur. Ibì suæ sorti relidâ, brevi remisere Paroxysmi, ut sanata se autumaret ægra. Elapso biennio, patriam petit. Reditæ Paroxysmi redeunt; repetuntur venæ sectiones, magis ac magis ingravescente morbo, tandem in convulsionibus vitam cum sanguine effundit. Ex nimia igitur sanguinis detractione convulsivos sæpè exoriri motus, manifestum est. Animalibus iusuper dum jugulantur, idem demonstratur. Morbi causam repetitis venæ sectionibus revellere ne confidas ergo. Hæc enim magis infigitur; ita ut jam aboleri nequeat, vel minimâ etiam occasione datâ ad resurgendum promptior evadat. Quin imò debilitatur cerebrum, pervertuntur digestiones, quibus læsis, tot Epilepsiæ species scaturiunt. Sanguis ipsemet, cæterique humores spiritibus orbati, lentius solitas percurrunt vias, meandros cerebri difficilè permeant, torpent inertes, in causam hærentem, minusque expugnabilem non ampliùs arrietant. Sic depressio sensum Encephalo, liquidis tardiùs manentibus, quid mirum, si Epilepsia sæviores agat tragædias; si diutiùs perseverent Paroxysmi, graviùsque redeant & celerius!

V.

AST, inquires: causa Epilepsiæ plerumque primitiva habetur plethora. In venæ sectione sola reperitur medela. Hæc parùm militat. Non lateat quanam sit plethora species, an vera, an spuria, an ab humore malâ diathesi militante, nimiumque luxuriante; an ut causa prædisponens, vel ut occasionalis haberi valeat. Ante Paroxysmum redundare sanguinem, evincunt-ne signa? Libenter, detrahe. Sed quàm rara se offert occasio! Cæterum, adsit plethora. Dat-ne ansam Epilepsiæ, ut causa remota? Pro momento evanescit venæ sectione, sed brevi resurget. Si pro instanti sublevetur Epilepticus, brevi longior, crudelior sæviet Paroxysmus. Experientiâ constat quotidianâ obesitatem fieri adhuc nimiam, si eam, repetitis venæ sectionibus, præcavere

* Miro modo debellatum fuit hoc vitium. Medicus in crus scepsellum adegit; in fundo vulneris invenit corpus durum; musculus separavit; discidit nervum, cui insidebat illud; eduxit: mox libera evasit ægra (c).

(c) Vide locum citatum.

tentes. Sic non minuitur plethora, sed minuuntur vires: tunc debilitato vasorum oscillatorio motu, irrepunt quaquaversus humores; minùs quatuntur, per mif uè onfunduntur; stagnant: secretiones turbantur; liquores coinquinantur: undè malorum præsertim chronicorum origo. Adest-ne plethora immediata Epilepsiæ causa? Quod conceptu haud facile. Non-ne potiùs produceretur apoplexia? Uti plethora generalis, æqualiter comprimeret cerebrum: quis enim hinc nimiam, illic nullam determinaret actionem? Si semel Paroxysmum excitarer, tunc insultùs Epileptici, non Epilepsiæ, nomen inveniret. Nothâ laborant-ne Epileptici plethorâ? Quod rarò evenit, nisi vigente Paroxismo; tunc ne sapiùs aperias venam, licèt quasi laqueo strangulati se prodant miseri. Motus autumans compescere spasmodicos, ipsasmet convulsiones, apoplexiam: *Vitando Charybdim, ne incidas in scyllam* Perversa humorum diathesis, horumque nimia quantitas, est ferè unica Epilepticorum (si ità loqui fas est) plethora, *Cacochimie* titulo, recensenda Procul hinc igitur frequentioris in Epilepsiâ phlebotomiæ sectatores; cum hæc plerùmque inutilis sit, ac ferè semper noceat.

Ergò Epilepsia rara Vena Sectio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

- | | | |
|--|--|---|
| <i>M. Cosma-Augustinus LEZU-</i>
RIER | <i>M. Achilles-Guillelmus le BE-</i>
GUE de Presle, Eques &
Censor Regius. | <i>M. Jacobus VERDELAN des</i>
Moles, Serenissimi Principis
Condei Consiliarius Medicus. |
| <i>M. Nicolaus JEANROY, Re-</i>
gii Medicorum Collegii
Nanceianorum Socius ho-
norarius, & Chirurgia Gal-
lico idiomate Professor. | <i>M. Casar COSTE, Censor Re-</i>
gius. | <i>M. Carolus-Ludovicus LIGER.</i> |
| <i>M. Augustinus ROUX, Regia</i>
Societatis Rei agrarie, nec-
non Regia Scientiarum A-
cademiæ Burdigalensis So-
cius, & utriusque Phar-
maciæ Professor. | <i>M. Petrus Joannes-Claudius</i>
MAUDUYT de la Varenne. | <i>M. Joannes Stephanus GUET-</i>
TARD, Regiarum Academia-
rum Parisiensis, Rupellensis,
Florentina & Stokolmiensis
Socius, Censor Regius, &
Historia naturalis Musæi Se-
renissimi Ducis Aurelianen-
sium Custos. |

Proponebat Parisiis JOANNES - BAPTISTA - EUGENIA DUMANGIN
Castro Theodoricus, Doctor Medicus Bisuntinus, Saluberrimæ Facultatis
Medicinæ Parisiensis Baccalaureus. A. R. S. H. 1768.

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facult. Medic. Typographi, 1768.